

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Peri tou protou kai tou eschatou Adam, ad locum 1 Corinth. XV, 44-50

Programma ... feriis memoriae Christi ex mortuis rediuiui sacris

Hartungsche Buchhandlung Hartungsche Buchhandlung

Regiomonti, MDCCXCV

[Peri tou protou kai tou eschatou Adam, ad locum 1 Corinth. XV, 44-50;
Programma I.]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9282

Ea est hominum mortalium haud spernenda sane, sed iucunda potius omninoque laetissima expectatio, quae illos, ubi deposuerint interitura huius vitae corpora, recuperanda eadem sperare finit in altera vita longe praestantiora. Quanta enim quanta feratur nonnullorum nimis iactata aspernatio, quae omnem corporis humani olim restituendi felicitatem expectandam fastidiose ridet; vix tamen dubitandum videtur, quin ipsi σοφοί rerumque humanarum quae ad corpus spectant adeo superbi contemptores, intus et clam haud raro iisdem expectationibus magnopere delectentur. Nec profecto videmus, quid in hac hominum inevitabili fato obnoxiorum perquam dulcissima spe despiciere possit homo itidem aliquando moriturus; dummodo haec ipsa expectatio satis secure speratur. Speratur autem quam firmissime, quae multipliciter (1) clarissimis ipsius Christi Apostolorumque adstruitur effatis: quorum inter plura sufficit Paulinis verbis ad Philippenfes Cap. III, 21., subiicere vnum, in quo nobis nostrorum corporum cum Christi *σωματι της δοξης* similitudo promittitur haec: *μετασχηματισει το σωμα της ταπεινωσεως ημων, εις το γενεσθαι αυτο συμμορφον τω σωματι της δοξης αυτου, κατα την ενεργειαν της δυναμεις αυτου και υποταξαι εαυτω τα παντα.*

Λ 2

Quae

(1) Joh. VI, 39, 40 et 54. 1 Cor. XV, tot. 2 Cor. V, 1 seqq.
1 Theff. IV, 13, 14. etc.



Quae vero cum ita sint istaque spes sat validis firmata argumentis nequaquam vacillet; facile videmur carere posse istis Scripturae S. locis, quibus eadem vix ac ne vix quidem adstruitur. Inter quos haud dubitamus etiam referre locum 1 Cor. XV, 44-50; et quidem imprimis eatenus, quatenus contenditur, in illo doceri: corpora nostra, quemadmodum in praesenti vita prioris Adami imaginem tulerint, sic in futura vita post resurrectionem imaginem posterioris Adami, h. e. ut interpretantur omnes, *Christi* imaginem esse relatura. Adduci enim hucusque non potuimus eo, ut nobis persuadeamus, hocce in loco verbis illis ab Apostolo usurpatis, ὁ ἴσχατος ἀδάμ atque ὁ δευτερος ἀνθρώπου, ὁ κυριος ἐξ ἔργου, ex mente Apostoli innui *Christum* eiusque σωμα της δοξης post eius resurrectionem abitumque ex his terris adsumtum. Quamvis enim nos minime lateat, interpretes ab antiquissimis temporibus dehinc ad vnum omnes in hac explicatione semper (2) consensisse et adhuc consentire; nos tamen audemus repudiare eam, et proponere aliam, quae, licet prima specie animis receptae et vulgaris interpretationis consuetudine imbutis haud admodum arrideret, cominus tamen considerata, accipienda atque probanda videatur.

Verum, haec causa nostra ita comparata est, ut admodum diligenter pertractanda sit, praesertim cum nullus interpretum a nostris partibus stet, omnesque adversentur potius. Fieri itaque aliter nequit, nisi ut, priusquam nostram sententiam de illo ἴσχατω ἀδάμ et ἀνθρώπου, τῷ κυρίῳ ἐξ ἔργου proponamus eamque vindicemus, vulgatam et ab omnibus receptam interpretationem, ante omnia accurate pensitemus nec non refellamus quantum opus est. Atque hoc imprimis est illud negotium, quod in praesenti conabimur et in hac Programmatis sectione priori absolvi nobis duntaxat sumimus. Ut autem et hoc ipsum bonis omnibus a nobis incipiatur nec infelici successu perficiatur, non possumus
non,

(2) "Per ultimum Adamum *Christum* intelligi, nemo prorsus dubitat" ut profitetur Crellius, qui et ipse huic sententiae adfentitur in Explicat. capit. XV. prioris epist. ad Cor. p. 217.

non; quin ab exploratione critica totius loci rem exordiamur: varia enim hic varie leguntur, et in his nonnulla absque dubio non sunt genuina, quorum rationem habere hic maximi momenti est.

Primo itaque, integra illa, quae ab initio nostri segmenti versiculo quadragesimo quarto in vulgatis libris, ita ut in plerisque codicibus mscpt., nec non in vetustis versionibus legitur sententia "ἐστὶ σῶμα ψυχικόν, καὶ ἐστὶ σῶμα πνευματικόν" abest a nonnullis codicibus, neque legisse haec verba videntur scriptores christiani ante seculum quartum; prius enim ea exhibet Augustinus. Variat etiam haec sententia in istis codicibus in quibus exstat; alii enim loco prioris particulae καὶ omissae, habent particulam εἶ, et mutant ordinem in sequentibus ita, ut loco ἐστὶ καὶ exhibeant καὶ ἐστὶ, vnde periodus oritur composita haec: "εἶ ἐστὶ σῶμα ψυχικόν, καὶ ἐστὶ σῶμα πνευματικόν": alii contra nec illud εἶ legunt nec illam periodum compositam, sed ita habent verba quemadmodum in nostris libris per typos exscriptis vulgo leguntur. Etiam versiones denique variant hanc sententiam, nec non scriptores latinae ecclesiae. Nihilo secius tamen iam olim non solum Whitbius in Examine etc. p. 65. adversus Millium, cui hic locus Scholiae additamentum videbatur, verba ἐστὶ σῶμα ψυχ. κ. ε. σ. πνευμ. tamquam genuina defendit; sed nostra etiam aetate post b. Semlerum, qui ad stipulatus erat sententiae Millianae (3), ipse adhuc b. Morus (4) nihil saltem certi de hac varietate lectionum decernere audebat, et haesitans tantum, *An non facile, inquit, ex Tertulliani verbis, si feritur animale, resurgit spirituale, scholion hoc: si est corpus animale, est et spirituale, in marginibus scribi potuerit, vel certe varietas lectionis in illo si enata sit, quilibet ipse aestimet.* Atque idem eodem loco dicit: *utrum Paulus haec verba omnino scripserit, an, si quid eorum scripsit, quae potissimum eius manus sit, non constat.* His autem auditis, si tandem audimus et alios inter recentiores viros non minus eruditione claros, animus tamen inclinatur

A 3

co,

(3) Vid. eius Paraphrasis in I ad Cor. epist. p. 442. seq.

(4) Dissert. ad locum Paulin. I. Cor. XV. v. 35-55. p. m. 8.



eo, ut haec verba omnino pro genuinis agnoscamus. Nam, *non tantum variat quidem*, fatetur Cl. Rosenmüllerus (5), *sed abest etiam haec sententia a nonnullis codicibus; verum, ad sensum integrum tamen omnino pertinere videtur.* Et Cl. Schulzius (6) dicit: "Wenn man die Stelle im Zusammenhange liest, so sollte man fast denken, sie sey ein Scholion, so matt und unverbunden steht sie da. Aber die kritischen Gründe, die Hr. D. Semler, und nach ihm Hr. D. Morus dafür anführen, kann ich nicht so stark finden wie diese Gelehrte. Und liest man fort, so fühlt mans, daß der 46ste Vers eben so steht, folglich mit diesem steht und fällt." Cum igitur ex rationibus criticis priorum virorum doctissimorum nihil certi vel indubitati possit definiri, posteriorum autem sententia argumentis ex orationis contextu petitis omnino firmata videatur; nos quoque accedimus ad horum partes, atque arbitramur, verba haec "ἐστὶ σῶμα ψυχ. κ. ε. σ. πνευμ." omnino non e textu esse excidenda sed potius in eo retinenda. Quae enim (ne et hoc praetermittamus) ex sententia Cl. Schulzii in his verbis languere videntur, haec fere ex sola illa ab omnibus interpretibus admissa explicatione verborum ὁ ἑσχατος ἀδάμ etc., orta esse putamus, quibus vero aliter explicatis, etiam haec, de quibus nos nunc loquimur, nec languida nec inertia amplius culpanda sunt.

Progredimur ad secundam quae in versiculo sequenti quadragesimo quinto occurrit variantem lectionem. Nimirum vox ἀνθρώπος in verbis quae, respiciens ad locum Genes II, 7., scripsit Apostolus: "ἐγενετο ὁ πρῶτος ἀνθρώπος ἀδάμ ἐκ etc.", in compluribus Codd. deest; quare iam olim Erasmus illam ab interprete quodam additam, et ea propter expungendam censebat. Et recte quidem, si quid videmus. Nam, quidquid dicant contra sentientes, nihil tamen amplius efficitur, quam ad summum hoc: retineri posse hoc vocabulum; quae vero ipsa huius hypothese probabilitas, cum fere vnice ex eadem τὸ ἑσχατὸς ἀδάμ

(5) Scholia ad N. T. ad h. l.

(6) Erklärung des erst. Br. an die Korinther ad h. l.

ἀδάμ interpretatione hucusque ab omnibus probata pendeat, hac igitur negata, ipsa etiam a nobis neganda est. Adeo enim Ludovicus Cappellus, idem ille, (7) qui ceterum, ut alii, fauet opinioni, quod retineri possit vocabulum *ἀνθρώπος*, recte tamen monet: rationem oppositionis membri sequentis omnino videri postulare, ut in priori hoc membro deleatur vox *ἀνθρώπος*, legaturque *ἔγενετο ὁ πρῶτος ἀδάμ*, quomodo in sequenti dicatur *ὁ ἔσχατος ἀδάμ*. Atque idem sentit Cl. Schulzius l. c., qui dicit: "der Gegensatz wäre noch stärker, wenn es hiesse:

ὁ πρῶτος ἀδάμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν,
ὁ ἔσχατος ἀδάμ εἰς πνεῦμα ζῶσαν.

Vielleicht hat sich Jemand bey dem ersten *ἀδάμ* blos zur Erklärung *ἀνθρώπος* Ω zugesetzt, daher es auch noch in einigen Handschriften fehlt." Quid multa? quisquis facile videt, vocem *ἀνθρώπος* ad minimum censendam esse superfluum et a manu interpretis cuiusdam *ἐξηγητικῶς* additam; ex sequentibus autem, quae de nostra interpretatione *τὸ ἔσχατος ἀδάμ* dicturi sumus, adhuc evidentius patebit, illam non satis apte pro genuina haberi posse.

Tertiam nunc porro quod attinet variantem lectionem nobisque vel maxime memorandam, vix vllus fere rei criticae gnarus nostra aetate amplius dubitat, quin duo illa verba *ὁ κυριος* ab aliena manu essent supposita. Etenim antiquissimis iam temporibus *Tertullianus* legit non solum constanter sic: *secundus homo de coelo*; sed idem quoque diserte perhibet, *Marcionem pro ἀνθρώπος ἐξ ἰσραὴλ primum scripsisse κυριος ἐξ ἰσραὴλ*. Abest etiam *ὁ κυριος* a scriptoribus et latinis et graecis ante *Chryostomum* nullo excepto omnibus; nec legitur in multis codicibus. Quid? et latinum vocabulum *homo* abest in nonnullis scriptoribus, qui tantum habent: *Secundus e coelo*: "unde apparet, inquit *Semlerus*, (8) *bunc locum iam olim varie interpolatum fuisse*:" neque nos alieni sumus, cum eodem *Semlero* statuere, nec *homo* nec *dominus* adfuisse, sed

utrumque

(7) in *Spicilegio*, p. 96.

(8) l. c. p. 446.



8

utrumque sensus causa suppletum esse. Ceterum, qui plura legere cupit, adeat ipsum Semlerum et Morum l. l. c. c., quibus auctoribus artis criticae atque exegeticae peritissimis, vltro tantum addere placet Schulzium, qui l. c. ad vocabulum κυριος obseruat quae sequuntur: "κυριος hat nach der Wetsteinschen und Griesbachschen Sammlung so viel kritische Zeugen gegen sich, dass man an seiner Aechtheit gar sehr zu zweifeln Ursach hat und es vielmehr für einen Zusaz eben dessen, der oben v. 45 ανθρωπος zugefetzt hat, oder für eine falsche Auflösung der Abbreviatur in ουριος, κυριος statt ουρανιος, das dem χοϊκος gut entgegen stehen würde, und worauf auch die Lesart der Vulgate und einiger Handschriften ο δευτερος ανθρωπος εξ ερανυ ερανιος führt, zu halten berechtigt ist." (9).

Tacebimus de voce "coelestis" s. ουρανιος, quam, vt Schulzius in loco modo citato monuit, verbis a coelo addunt Vulgata quae dicitur et nonnulli scriptores latini. Nimis in ambiguo versatur haec lectio, quam vt quidquam certi de illa statuatur; nec est quod eam valde curemus, cum ex illa, siue sic siue aliter legatur, nihil quod aliquid momenti sit efficiatur.

His praemittendis itaque praemissis, textum authenticum habemus fere hunc, quem hic describere nobis visum est:

Ἔστι σωμα ψυχικον, και ἐστὶ σωμα πνευματικον· οὕτω και γεγραπται· ἐγενετο ὁ πρῶτος ἀδάμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, ὁ ἐσχάτος ἀδάμ εἰς πνευμα ζωοποιον. ΑΛΛ', εἰ πρῶτον τὸ πνευματικον, ἀλλὰ τὸ ψυχικον, ἐπειτα τὸ πνευματικον· ὁ πρῶτος ἀνθρωπος ἐκ γῆς, χοϊκος, ὁ δευτερος ἀνθρωπος ἐξ ερανυ. Οἷος ὁ χοϊκος, τοιοῦτοι και οἱ χοϊκοι, και οἷος ὁ ἐπουρανιος, τοιοῦτοι και οἱ ἐπουρανοιοι· και καθως ἐφορεσαμεν τὴν εἰκονα τῆς χοϊκος, φορεσομεν και τὴν εἰκονα τῆς ἐπουρανιος. Τοῦτο δε φημι, ἀδελφοι, ὅτι σαρξ και αἷμα βασιλειαν θεε κληρονομησαι οὐ δυνανται, οὔδε ἡ φθορα τὴν ἀφθαρσιαν κληρονομει.

Ponamus

(9) Idem sentiunt S. R. Seiler in Theol. fr. Betracht. 4. B. p. 222. it. b. Doederlein, Opusc. Theol. p. 64.



Ponamus nunc, nos antea nunquam legisse haec verba, neque ullam illorum explicationem prius audivisse; cuinam, quaeso, in mentem veniret, scriptorem istis vocabulis ὁ ἑσχατος atque ὁ δευτερος ἄδამ f. ἀνθρώπος ἐξ ἔργου notionem Christi, et quidem (quod monendum videtur) Christi e mortuis resuscitati et corpore coelesti seu πνευματικῶς circumdati, hic subiecisse? Age! integrum locum continuum consideremus! In eo nempe versatur res Apostoli, quod respondeat illis, qui (vers. 35) interrogauerant: πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ ΣΩΜΑΤΙ ἐρχονται; Nimirum hanc quaestionem mouerant non illi, qui vero discendi studio incitati cupiebant doceri, quaenam et qualis futura esset humanorum corporum post resurrectionem conditio; sed quaestio haec potius erat oggannientium quorundam pseudo-apostolorum vel etiam pseudo-christianorum, qui, Sadducaeorum disciplinae addicti, omnem mortuorum resurrectionem impossibilem, ergo nullam omnino arbitrabantur, quandoquidem priora corpora, quippe vel in terra, vel aëre, vel aqua pridem corrupta et in infinitas prope substantiarum species conversa, reuocari nequeant. Hos homines nihil supra naturam sentientes aut sapientes Apostolus (vers. 36-44.) conuincit *primo*, demonstrans ex ipsa rerum natura, nec absurdam nec impossibilem esse resurrectionem mortuorum, utpote cuius typum et imaginem adeo in creaturarum inanimatarum natura proposuerit creator omnipotens, e. g. in grano tritici aut alterius cuiusdam speciei grano siue semine. Argumentatur enim scriptor fere sic: pari ratione quemadmodum auctor naturae in prima iam rerum omnium creatione in grano et semine tritici plantam exinde oriundam voluerit esse inclusam; sic facile potuerit etiam in corpore ψυχικῶν hominis creati includere corpus πνευματικόν exinde olim oriundum, e. s. p. Hac vero refutatione feliciter peracta, progreditur nunc Paulus *secundo* ad aliud genus argumentandi, nempe ad argumentationem e Scriptura sacra et quidem e libris Moysi, quorum auctoritatem ipsi Sadducaei agnoscebant, petitam, acute monens, in ipsa historia creationis primi hominis deprehendi indicia et corporis ψυχικῆς et corporis πνευματικῆς in eadem hominis substantia. Antequam vero hanc probationem



tionem adfert, colligit tam quae hucusque confirmant, quam quae adhuc probare vult et exprimit ea his verbis: ἐστὶ (igitur) σῶμα ψυχικόν, καὶ ἐστὶ (10) σῶμα πνευματικόν: quasi dicat: probavi igitur in praecedentibus (vers. 35 - 44.) ex ipsa indole et natura creaturarum inanimatarum, quod auctor rerum omnipotentis corpori illarum ψυχικῶν incluserit corpus quoddam πνευματικόν; nunc porro probabo et quidem Scripturae S. auctoritate, quod corpus humanum eadem qualitate a Deo conditum sit, et quod simili ratione auctor naturae in creatione primi hominis corpori ipsius ψυχικῶν incluserit etiam corpus πνευματικόν: contendo igitur atque adfirmo, esse et dari omnino et corpus ψυχικόν et corpus πνευματικόν." Atque hoc igitur illud est, quod nunc probat Apostolus, dum pergit: οὕτω καὶ γεγραπται, i. e. hoc itaque quod modo dixi, esse tale corpus ψυχικόν et esse etiam corpus πνευματικόν, adparet quoque ex ista creationis hominis primi narratione Mosaica Genes. II, 7, qua edocemur: ἐγένετο ὁ πρῶτος ἀδάμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, ὁ ἔσχατος ἀδάμ εἰς πνεῦμα ζῶσαν; ergo non impossibile potest haberi, ut simili quadam ratione, quemadmodum ex grano et semine tritici surgit planta, ex corpore hominis ψυχικῶν resurgat olim σῶμα πνευματικόν, e. f. p." Quid autem? si ita res se habet, Lector benevole, atque si hic ordo cogitationum scriptoris sacri est indubie verus; dic sodes! qui factum est aut qui fieri potuit, ut vel vnus interpretum, ne dicamus omnes, dum legerint haec verba ὁ ἔσχατος ἀδάμ, de Christo vel adeo de corpore eius post resurrectionem in coelis glorioso cogitarent? praesertim, cum nullum prorsus indicium adsit, quod illa Apostoli probatio ex narratione Mosaica petita, (quam indixerat his verbis οὕτω καὶ γεγραπται) in solis verbis prioris commatis "ἐγένετο ὁ πρῶτος ἀδάμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν" iamiani transacta et ad finem perducta sit; cum potius e contrario comma posterius "ὁ ἔσχατος ἀδάμ εἰς πνεῦμα ζῶσαν" videatur arte coniungi cum commate

(10) Duplicatum illud ἐστὶ sine dubio cum emphasi dictum est. Hoc esse vel dari autem de eo dicitur, quod vel re ipsa iam est et exstat, vel esse et exstare saltem potest. Sic dicitur e. g. dari summum bonum, dari s. esse vitam aeternam, etc.

commate priori per verbum regens "ἐγένετο" factus est." Haud ignoramus quidem, quam via se expedire laborauerint interpretes; nimium ita, ut admodum fidenter contendant, partem posteriorem huius effati "ὁ εσχ. αδ. ε. πν. ζωον." de suo addidisse Paulum et quidem propterea, ut clarior fiat comparatio et antithesis primi et secundi Adami, atque (ita aiunt) ob eandem causam esse illud *ἔγωγε καὶ γεγραπται* referendum omnino tantum ad priorem sententiam "ἐγεν. ὁ πρ. αδ. ε. ψυχ. ζωον", nec aliquid in aliis libris Scr. s. inueniri de *postremo* Adamo. Hinc etiam coactos se vident, in altera parte huius commatis non repetere ex priori illud verbum *ἐγένετο* (quod tamen aperte suadet orationis series, et alius cuiusdam verbi regentis absentia utique poscit;) sed subaudire potius vel supponere verbum "ἔστι", ita, ut sensus efficiatur hic: "Prior Adamus factus est anima viuens, secundus autem Adamus est spiritus viuificans." Verum, quis non videt, haec omnia non aliunde affirmari, nisi forte, quia aliter haec verba explicari nequeant. Nam, quod ad alia argumenta attinet, quae ex sequentibus extricari solent; de his videbimus postea, ubi non minus adparebit, ea esse nulla.

Vidimus iam, seriem cogitationum scriptoris interpretationi vulgatae minime fauere; videbimus nunc, Consilium scriptoris atque orationis non magis, vel potius multo minus id facere. Consilium scriptoris, ut iam supra monuimus, est hoc, ut illos inprimis homines meliora edoceat, qui, Sadducaeorum opinionibus corrupti, omnem humanorum corporum resuscitationem prorsus impossibilem et nullam esse sibi persuaferant, quique proinde etiam ipsius corporis *Christi* e mortuis resurrectionem omnino negabant et ex principiis suis non poterant non negare (11). Hi igitur ridendo percunctati erant: "πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται;" Fingas ad tempus, si placet,

B 2 Aposto-

(11) Hoc partim ex ipsa re clarum est; partim intelligitur ex eo, cum videmus, Apostolum vindicationem totius doctrinae resurrectionis mortuorum exordiri (v. 1-17.) a vindicatione veritatis resurrectionis *Christi*.

Apostolum his percunctatoribus responsum dedisse quod sequitur: "Adamus primus quidem, sicut scriptum est, corpore tantum animali a Deo creatus fuit; sed Adamus ille secundus, Christus dominus noster adeptus est post resurrectionem suam e mortuis corpus priori animali longe praestantius et spirituale vivificans; ergo indubitate futurum est, ut omnium etiam mortuorum corpora animalia olim resurgant spiritualia s. πνευματικά." Quid, putas, profecisset tandem Apostolus hac tali responsione? Nonne se ipsum illis hominibus ridendi materiam praebuisset? nonne id ipsum erat, de quo quaerebatur, num omnino vere iam facta sit vlla vnquam corporis humani e. g. Christi resurrectio, et, num omnino futura sit talis resurrectio ceterorum omnium? Falleris, si credis, hos percunctatores tantum de ποιότητι vel qualitate corporum resuscitatorum serio quaesivisse, cum ceterum ipsam resurrectionem concessissent: quaerebant de ista qualitate, ut ipsam integram resurrectionis doctrinam in risum verterent. Quid igitur ais? num, his diligenter consideratis, apta tibi videri potest illa responsio, quam subiiciunt interpretes Apostolo? num putas adhuc, per τον ἐσχάτον ἀδάμ intelligendum esse Christum ex mortuis resuscitatum et in coelis, ubi nunc est, corpore πνευματικῶ circumdatum?

"Attamen vero, inquis, expresse fit mentio in sequentibus τῶν δευτέρων ἀνθρώπων, qui disertis verbis describitur tanquam ὁ κύριος ἐξ ἔθρων: quis vero alius intelligi posset, nisi Christus qui solus est dominus e coelo descendens!" Atque fateamur quidem, fallere lectores omnino potuisse quondam hanc dubitationem specie sua, quum dubitarent adhuc de veritate lectionis ὁ κύριος et nullus auderet firmiter contendere, quod haec verba non sint genuina. Postquam autem nostra aetate ex rationibus criticis supra commemoratis satis constat, haec verba non esse a manu Apostoli; profecto, non opus esset, ut diutius in illis immoraremur, vel multum operae collocarem in eo negotio, quo copiose a nobis exponatur, neque hoc neque illud ex isto "ὁ κύριος" vel doceri vel probari posse. Verum tamen, ne quid tandem delit quod desideretur, ponamus ad tempus, legi omnino oportere ὁ κύριος ἐξ ἔθρων;

tunc



tunc autem persuasum habemus, haec verba, certe in hoc loco, nulla prorsus ratione *de Christo* posse intelligi. Quamvis enim omni dubio careat, hanc formulam loquendi in Scriptura s. de nemine unquam, nisi de Christo usurpari, neque vllum hominem simili elogio ornari; perinde tamen et hoc etiam extra omne dubium positum est, formulam hanc nihil aliud unquam nisi eius *originem* diuinam indicare, Christumque tanquam illum describere, qui ante mundum conditum apud patrem fuerit et singulari modo ab illo ad homines missus sit, (*ὁ ἄν ἐξ ἔθους*. it. *ὁ ἐκ τῆς ἔθους ἐρχόμενος* qui *ἐπάνω πάντων ἐστίν*. it. *ὁ ἐν τῶν ἀνω*. it. *ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος*. (12) Grotius quidem vero, ut acutus est interpres, cum videret, hanc significationem formulae hoc in loco nostro Paulino retineri nullo modo posse, si omnino, ut ipse tamen non dubitat, *de Christo* hic sermo sit, rem ita expedire studet, ut neget, illud "*ἐξ ἔθους*" hoc loco *originem* innuere, atque contendat, *dici potius* more hebraeo pro *ἔθους* i. e. *coelestis*, et verti debere: *habet iam corpus coeleste*. Atque sic sensus totius versiculi esset hic: "primus ille homo Adamus ex terra procreatus, corpore terrestri fuit praeditus; secundus autem homo, Dominus, habet nunc post resurrectionem suam e mortuis corpus coeleste." Verum, etsi non omnino negare velimus, illud *ἐξ ἔθους*, si res et orationis series ita ferat, ex more hebraeo explicari posse per *ἔθους*; prorsus tamen negamus, id fieri posse in hoc nostro loco Paulino. Nam *primo*, non dicitur *τὸ σῶμα* Domini esse *ἐξ ἔθους* (ita tamen vult interpretari Grotius: *habet iam corpus coeleste ὁ κυριος*) sed *τὸν κυριον* esse *ἐξ ἔθους*; ita ut illud *ἐξ ἔθους* non exprimat praedicatum *corporis* Domini, sed *totius Christi*. Atqui, licet concedamus, illud *ἐξ ἔθους* more hebraeo idem esse posse, quod *ἔθους* s. *coelestis*; nulla tamen ratione ex illo "*ὁ κυριος (ἐστίν) ἐξ ἔθους* sine *ἐστίν ἔθους*" efferri posset illa Grotiana periphrasis: *qui iam habet corpus coeleste*. *Secundo* autem, quis non videt, illud *ἐξ ἔθους*

B 3

hoc

(12) Joh. III, 13. ibid. 31. etc. etc. Cfr. b. Doederlein. Opusc. Theol. in Commentat. de vi et usu formulae: Christum e coelo venisse, p. 61. seqq. It. b. Morus l. c. p. 21. seqq.



hoc loco aperte respondere illi "ἐκ γῆς" in commate priori, atque illud "ἐκ γῆς" ibi sine dubio *originem corporis* primi hominis *ex terra* indicare? ("ὁ πρῶτος ἀνθρώπος ἐκ γῆς, χοῖκος, i. e. primus homo *ex terra procreatus*, corpore terrestri fuit praeditus.") Quod si ita est, sequitur, ut illa formula ὁ κυριος ἐξ ἔφραυ in commate posteriori, si de *Christo* diceretur, itidem *originem corporis Christi quo in his terris usus est* indicare oporteret, nec vlla ratione de *corpore* quod iam *post resurrectionem in coelo habet coeleste* ἢ πνευματικον, explicari posset; hinc porro sequitur, ut concederetur, in hoc contextu per hanc formulam "ὁ κυριος ἐξ ἔφραυ" nihil aliud describi, quam hoc: Iesu initia vitae et imprimis corporis sui terrestri diuina interueniente virtute accepisse; (quod alias omnino verum est.) Si autem hoc tantum et nihil amplius efficitur, quam ratione contendere tamen posses, innui hic nihilo minus corpus Christi πνευματικον quod iam habet *post resurrectionem in coelo*? si denique hoc tantum, et nihil aliud efficitur, quorsum haec prouocatio ad corpus Christi *terrenum*, (quanquam id alio quodam respectu recte dici potest e coelo esse) cum hic demonstrandum et exemplo quodam probandum erat, esse et dari corpus πνευματικον? nisi forte velis recoquere fanaticum errorem veterum familiarum Gnoslicarum vel Docetarum vel Phantasiastarum vel Manichaeorum, qui purissimam Iesu Christi mentem corporis siue materiae contagione inquinari putarent, ideoque personatum hominem ἐν δοκησει vel φαντασματι corporis vixisse, vel Christum simulatam speciem carnis, ludificandis hominum sensibus praebuisse contenderent!

"Quid autem? num solum *de Corpore*, et non potius de *Christo* in vniuersum eiusque *substantia* s. *natura* sermo est?" Minime! Age enim! videamus denuo orationis seriem. Quaestio captiosa, a pseudoapostolis mota, est haec: "πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ ΣΩΜΑΤΙ ἐρχονται;" Ut cetera nunc omittamus, hic tantum monebibus, quod Apostolus ad hanc quaestionem versiculo 44 et 45. vniuersae responderit: esse corpus ψυχικον et esse corpus πνευματικον. Pergit vero
nunc,

nunc, alteram adiiciens sententiam: ἀλλ, ἔ̄ πρῶτον τὸ πνευματικόν (scil. σῶμα,) ἀλλὰ τὸ ψυχικόν (scil. σῶμα,) ἔπειτα τὸ πνευματικόν (scil. σῶμα). Hanc itaque sententiam, "quod non sit primum τὸ corpus spirituale, sed potius corpus animale, et deinde demum corpus spirituale," confirmat iam atque eam suffulcit his verbis: ὁ πρῶτος (enim) ἀνθρώπος (qui est) ἐκ γῆς, (proinde etiam est) χοϊκός· ὁ δεύτερος (autem) ἀνθρώπος, ὁ κύριος ἐξ ἑράνης. Sensus prioris partis huius propositionis aperte est hic: "id, quod modo nunc contendi, corpus animale esse prius corpore spiritali, patet ex eo, quoniam corpus primi hominis animale e terra factum est, ac proinde corpus illius fuit terrenum." Sensus igitur posterioris partis huius propositionis, priori oppositae, non alius esse potest quam hic: "quod autem, ut dixi, corpus spirituale sit animali posterius, id patet ex eo, quod ὁ δεύτερος ἀνθρώπος, ὁ κύριος ἐξ ἑράνης." Quid autem? num putas hoc verti posse "quoniam secundus homo nempe Christus dominus noster secundum substantiam s. naturam divinam suam e coelo est?" Quomodo ex illo, quoniam Christus e coelo est, pateret et probari posset, quod corpus πνευματικόν sit posterius corpori ψυχικῷ? (13)

Sed finiamus tandem quae dicenda erant de vitis, quibus communis interpretatio huius loci admodum laborare videbatur: alio tempore bono cum Deo nostram proponemus interpretationem.

(13) Errat igitur etiam b. Doederlein l. c. p. 67, ubi dicit: H u c (nempe, ad praestantiam originis et naturae Christi.) Paulus digittum intendit 1 Cor. 15, 47, in comparatione Adami et Christi. Namque cum alterum ἐκ γῆς originem duxisset, ac prima eius stamina
ex

ex limo s. pulvere efformata esse, propter Mosaicam narrationem de prima hominis creatione tuetur, unde Adamus natura *κοινος* cum posteris fuit: quis non videt, propter coelestem originem naturaeque multo sublimioris praestantiam Christum *αυδακρον* in *τα υψωτα* dici, unde natura eius *εραγωνος* vocatur, cum cultoribus suis olim communicanda? De natura Christi prorsus hic non sermo est.



Recordemini, *Ciues*, nos in priori Programmatis parte hoc primum egisse, ut, peracta textus authentici emendatione critica, univiam illam hucusque cognitam, doctissimisque omnibus omnium aetatum interpretibus probatam explicationem *τὸ πρῶτον* atque *τὸ ἔσχατον* (i. *δεύτερον*) *ἀδάμ*, quae illo vocabulo Adamum generis humani auctorem, hoc vero *Christum* eiusque post resurrectionem *corpus gloriosum* significari contendit, profus omnino, at profecto non temere, repudiarem. Postquam autem id satis ibi factum transactumque putamus, iam nostrarum videtur esse partium, ut propius ad summam rei paulatim accedamus, nimirum ut nunc sedulo cogitemus de alia interpretatione, quam in locum repudiatae censeamus reponendam.

Omne autem periculum haec verba cum successu interpretandi, irrito semper abibit conatu, nisi antea de eo, de quo nos supra quidem nonnulla, sed leniter tantum monuimus, hic aliquid certi decernatur: an omnia Mosis citato, vel an ex parte Paulo citanti haec verba adscribenda sint? num totum illud argumentum, quo utitur Apostolus pro stabilienda veritate sententiae suae, "quod detur et corpus *ψυχικόν* et corpus *πνευματικόν*", ex sola historia creationis, vel ex parte aliunde desumptum atque, ut aiunt, a Paulo ipso *de suo* additum sit? Quodsi enim prius locum habet; uterque *ἀδάμ*, et *ὁ πρῶτος* et *ὁ ἔσχατος*, ex sola Mosis narratione explicandus est; si posterius, solus *ὁ πρῶτος* apud Mosen, *ὁ ἔσχατος* autem *ἀδάμ* alibi quaerendus est. Atqui, sepositis aliis omnibus, haec quidem imprimis componenda sunt: quibus tandem peractis, certo speramus, fore, ut ipso exitu nostrae indagacionis, quicumque sit, de vestigiis edoceamur, quibus insequendis ad veram verborum interpretationem perducamur.

